

paterna dilectione solummodo, que filiis etiam ingratis non denegat beneficium, et de benignitate nature tutrix existens, ad percussiones se clipeum preparat pro eisdem. Sicut bene recolitis, vos monui plurimum ab initio et instantissime castigavi, ne cum illa civitate que maior est numero, viribus et potentia, vos moveretis ad litem, nec animos degentium in eadem incitaretis ad iram: quoniam non patiuntur iura, minores maioribus dominari, immo iubent precellentibus obedire: et raro contingit, quod maiores bellando cum pusillis amittant, licet Deus pusillo gregi quandoque adiutor existat, ~~ob~~stendi etiam, quod locorum asperitas non potest avium refricare volatum, nec maiorum piscium gressus possunt gratis pisciculi denegare. Nam etsi dicitur, quod iuste se defendere possit offensus, cavere tamen debet, ne vindicando, deterioretur iniuria, et ne vindicata ira, sibi vindicet iram. Item ne cadat stare credens, opus est flectere, et maxime aluvione crescente: nam frangit et aqua saxum, gutta frequentante cesum, et arborem ipsa diruit centenariam, diu irruens in radices; sic et continua guerra, fortiora frangit, altiora declinat, et debilitata consumit. Cum igitur teneamur vestros ferre langores, ac nobis comisse cure coram Deo reddere rationem; rogamus vos iterum et ortamur, quatinus aptiorem viam eligentes, de cetero desistere debeatis a lite; per quam Deus nimis offenditur, occurrunt immoderata dispendia, periculum imminet personarum, successorum decrescit utilitas, animarum acceleratur interitus, et finis eiusdem litis sepe remanet odiosus. Item et servus servientium sibi, licet se venundari non patiatur, propter litem efficitur litigator ».

Quibus dictis, sic animos audientium episcopi cepit oratio, quod pariter omnes acquiescentes dictis eiusdem, ipsum constituerunt per omnia dominum et actorem.

Factum est autem dum loquerentur simul florentini et fesulanus episcopus, concordia facta est, per quam destructa est civitas fesulana cum arce; episcopali sede in statu et libertate manente. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo quinto. Unde versus ».

Subiacet hec mesta, quia numquam fecit honesta (1).

Parvo tempore procedente, cum florentini destruxissent castrum quod dicebatur Monsgofonis (2), in reversione guerram cum castro Montisboni non sine causa incepterunt: quoniam cum in servitio florentinorum apud predictum castrum eiusdem domini essent, videntes futuram eiusdem castri Montisgufonis destructionem, statim de propria morte dubitarunt. Credentes eidem posse resistere, recesserunt noctu, castrum Montisbuoni custodibus hedificiis et necessariis omnibus munientes. Quod postea destructum est anno millesimo centesimo trigesimo quinto.

(1) Il Malispini ed il Villani dicono che la città di Fiesole per due volte fosse distrutta dai Fiorentini; l'una nel 1010, e l'altra nel 1125. Quanto alla prima, se ne può ragionevolmente dubitare essendoci documenti contemporanei e posteriori a quella pretesa distruzione, che mostrano Fiesole tuttavia in piedi colle sue mura, colla sua rocca, e sempre essere sede del suo vescovo. E di questa opinione è tra gli altri, il Camici ne *Supplementi* al Della Rena; mentre è certa e vera la seconda, confermata da tutti i cronisti, ed ancora dal nostro, il quale raccontando questo fatto, aggiunge alcuni particolari che negli altri non si leggono.

(2) Della distruzione di Monte Gufoni non parla nè il Villani, nè altri.